

tes, flamines, instituenda sacra anniuersaria sint, quæ quidem, (si hoc modo de homine dici fas est) caste, ac religiose posteritas colat. Quæ gloria non ob id solum Duditio debetur, quod aliquando id agere cum paucis animum induxerit, sed quod aduersus multorum consensum id agere, sed cum id agere eo tempore, cum docti homines scriptis multis editis aduersus optimam causam, insitum hominibus errorem animis, cum nulla alia ratione liceret, tueri auctoritate haud sint veriti, quæ imperitis pro ratione est. Quos quidem ita facile Duditius patitur suo ingenio morigerari, vt eorum in se iniustum odium deprecetur, quibus liceat, nulla sua offensione, quam malint sententiam tueri, quam malint oppugnare. Nam si quid inesse aculei in illius oratione videatur, à quo ne ipsi quidem nobis temperare potuimus, id totum eorum nequitia, & petulantia refutanda est, qui imperitorum animos mendacijs multis circumueniendo, hinc prauitate ingenij, hinc multitudinis errore, ad iniustum, atque impium quæstum abutuntur: quorum per omnia fora circumuersantium, & magnus semper numerus fuit, & nunc maximus est. Ita cum multa alia sunt in Duditio, quorum singula, vt cætera absint, dignum eum immortalitate reddunt, tum vnum est, quod in eo etiam, in quo omnia sint summa, maiore cum laude excellat, quod & de tota hac ratione sentit præclare, & quæ præclare sentit, ita persequitur dulci, atque æquabili stilo, vt nō res magis de quibus scribit, cum haustæ sint è reconditioribus sapientiæ fontibus, eruditione summa,